



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt XXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

de illis occidendis habebant. In quem
 Dauidis uerba uera erant, sed tamen per hæc fallebat
 regem, qui ex his intellexit Dauidem mala intulisse
 Iudæis, ut inimicis, quod rex maxime cupiebat, cum
 tamen Dauid potius egisset con. ra gentes, id quod li
 cet erat sine damno regis, tamen sciens nō tulisset. Fal
 lit ergo regem sine damno regis, in sui defensionem &
 suorum, dum facit illa quæ per deum facere licet. De
 hac fraude supra diximus, ne quis inde fallendi regu=
 las componat. Est enim sapientia carnis in hypocrisi
 callida, ut legem faciat ex operibus sanctorum quasi in
 nullo potuerint peccare sancti. Verbum dei sequi debe=
 mus nō opera sanctorum, nisi etiam imitandum ducas
 adulterium & homicidium Dauidis.

Ceni & Ieramel, uide infra ca. 30.

CAPVT XXVIII.

Cratia regis Philistijm erga Dauidem, ut in
 precedenti, ita & in hoc & sequenti capi
 te describitur, nimirum ita curate deo pro
 suo Dauide. Dauid autem hoc minus igno
 rans omnia committit deo, dum non licet sibi agere
 contra Israëlem neq; contra fidem hospitij facere, Li
 cet enim præceptum haberent filij Israëel de perden=
 dis Philistæis ut alienis & inimicis, tamen altera legis
 tabula urgebat, diligere proximū, ut seipsum, & tam

proximus factus fuerat Achis, declarante Christo, Lucae. 10. de Samaritano. Beneficium hoc regis erat, ceterum cum Philistinis non legitur foedus iniisse, & se quod pro tempore iniisset, ipsis uiolatoribus irritum fuisset, inuadunt enim regnum statim ubi audiunt Dauidem unctum regem. 2. Regum. 5. Inter utrumque igitur Dauid constitutus dum ignorat dei uoluntatem, dubijs uerbis loquitur. Nunc scias quae facturus est seruus tuus, quae tamen rex, non ut dubia, accipit pro se, quemadmodum & superiori capite. Et quia Dauid omnia committit hic deo, deus liberat ipsum ab utroque periculo, ut dicemus cap. sequenti.

De historia suscitati Samuelis.

Primum, mors Samuelis supra ca. 25. descripta repetitur, ut scias daemone illusionem esse quod de suscitatione Samuelis legitur. Deinde aperitur qua speciem iusti regis & pij haec desperata hypocrisis post mortem Samuelis praetenderit, auferendo magos, ariolos & pythonicos, quasi secundum legem, Leuit. 20. Deut. 18. Esa. 8. Nituntur enim hypocritae sese operibus legis uenditare uulgo, neglecta & contempta in deum fiducia. Sic namque scribitur de Saule. 1. Par. 10. Mortuus est Saul propter iniquitates suas, eo quod praeruaricatus sit mandatum domini quod praeeperat, & non custodierit illud, sed insuper etiam pythonissam consuluerit nec sperauerit in domino, propter quod interfecit eum & transtulit

regnum eius ad David filium Isai. Quid profuit Sauli habere nomen apud homines q̄ Ariolos non pateretur uiuere, qui supra ex Samuele audiuit. Repugnare uerbis dei est quasi peccatum ariolandi, & nolle acquiescere quasi scelus idololatriæ? Idololatriæ sunt omnes iustitiarum qui uerbum dei proiecerunt &c. Porro hypocrisis fuisse historia hic declarat, nam in angustia ea requirit quæ damnasse uidebatur. Hypocrisis enim extra tentationem operibus legis gloriatur, & cultrix dei sibi uidetur, in tentatione uero desperat, quia nunquã fuit illic uera in deũ fiducia. Vnde ait, Vidit Saul castra Philistijm & timuit & expauit cor eius nimis.

Nec per somnia.

Nu. 12. Nec per sacerdotes. Heb. Nec per lumẽ, quod nostri doctrinam legunt Exo. 28. Lumen & plenitudo erant in rationali, quod ferebatur ante pectus sacerdotis. Significat Saul neq; per applicatum Ephod & rationale in sacerdotibus se audiri à domino &c.

Viuit dominus.

Iuramentum hoc est contra dei legem, tamen speciem habet honorati dei. Ita blasphematur ubiq; nomen dei per istos hypocritas.

Quã quæso potestatem haberet hæc damnata ars in mortuos, nisi q̄ hic Satan se transmutat in Samuelem personam? Sic impios consultasse mortuos indicat lex Deuter. 18. & Esai. cap. 8. quam illusionem

diabolicam fuisse quis illic non uidet? Quod uero Sa-
 muelem scriptura scribit fuisse, hoc scribit quod mu-
 lier & Saul cum suis illic crediderunt esse, à simplici-
 tate enim sua scriptura non recedit, Sic etiam lex pro-
 hibet à mortuis quærerere ueritatē, cum tamen illi mor-
 tui uere non sint, sed dæmones, sed qui suscitantur ex
 eis credunt esse homines qui uixerant. Porrò q̄ uera
 narrat & prædicit diabolus, nō mirum. Omnia enim
 hæc iam corā uidet, scilicet de Dauide regnatura, id
 quod & homines tunc non latebat, & de Saule cum
 suis perituro, nihil enim presidij iam uidebat aduer-
 sus uim Philistinorum neq; ex hominibus neq; ex deo
 cui iam ex aduerso incedebat Saul, sed neq; Dauid ille
 aderat per quem salutem facere solebat deus, Facile
 ergo certis coniecturis diuinare diabolus potuit, qui
 tamen in his & fallere & falli potuisset, Permisit uero
 deus hæc omnia uere dici à Satana, ut confirmentur
 amplius in errore qui dilectionem ueritatis non susce-
 perunt. 2. Tess. 2. Vnde lex prohibet Deut. 13. etiā illis
 quæ eueniunt ut prædicta sunt credendum, dum illa
 signa postulant ut deficiamus ad deos alienos, quia in-
 quit, tentat uos dominus deus uester, ut palā fiat utrū
 diligatis eum an non, in toto corde & in tota anima
 uestra &c. [Deos,] id est iudices, ut uides &
 Exo. 22. Ad deos utriusq; causa perueniet. Aut comi-
 tes uidit cum Samuele illo personato, aut plurale po-

fitum est pro singulari, quemadmodū de uitulo aures dixerunt, Isti sunt dii tui Israël &c. id quod sequentibus magis conuenit. Pallio.

In Heb. tunica sericia, quæ est uestis sacerdotalis, Exo. 28. ut ista specie & iudex & sacerdos uideretur Satan, qualis fuerat Samuel, Nec mirum si in ista sancta specie apparuerit, qui se solet in angelū lucis transformare, sicut pseudapostoli in apostolos Christi. 2. Cor. 11.

Cras eritis, Id est, in morte eritis sicut ego, hoc est mortemini sicut ego mortuus sum.

Cecidit. Vide quæ angustia, & quæ desperatio, ita ut illa mulier condoleat & iuuare nitatur &c.

Posui animam meam.

In manū meam, uide rursum quemadmodū & ca. 19: dixi. quid significet uersiculus in psal. Anima mea in manibus meis semper.

CAPVT XXIX.



quemadmodum supra diximus, David in isto dubio sic sensisse uidetur, Filij Israel sunt populus meus & fidelitatem debeo regi Philistæorū, sed forte iam uult deus punire filios Israel impios, aut uult ne seruem fidem datam dei hominibus, ne pluri faciam fidem meam quàm dei uoluntatem (quemadmodum uotarij nunc faciunt) Ego neutrum intelligo, hoc autem scio quod neutrum iam possum.